Commentationes philologicae
in Zenonem Veronensem, Gaudentium Brixiensem, Petrum Chrysologum Ravennatem.

Scripsit

H. Januel.

Inauguraldissertation

der philosophischen Fakultät Sekt. I der Ludwig-Maximilians-Universität München.

Eingereicht am 5. Juni 1905.

Druck von J. & K. Mayr in Stadtamhof.

Praefatio.

Etiamsi hac quaestione commentatiunculae a me editae[1]) alteram partem adiungam et libros, quibus sum usus, ibi iam attuli,[2]) tamen non supervacaneum esse videtur inscriptiones potissimorum etiam hic in loco repetere; sic enim huius libelli res priore non adhibito percipi posse arbitror.

Decet me occasionem non praetermittere, quin C. Weymano maximas gratias iterum agam, quod hoc opus non solum aggrediendum ante oculos mihi proposuit, sed etiam in eo conficiendo compluriens consilio me adiuvit.

---

1) Commentationes philologicae in Zenonem Veronensem, Gaudentium Brixiensem, Petrum Chrysologum Ravennatem, prior pars. Programm zum Jahresbericht über das Kgl. Alte Gymnasium zu Regensburg im Schuljahre 1904/1905.
2) p. 4.

Caput I.

Ex Gaudentii sermonibus ultimum esse genuinum demonstratur.

In tractatuum Gaudentianorum editione, quam curavit P. Galeardius,[1]) exstant sermones XXI. Eorum postremum, qui inscribitur de vita et obitu beati Philastrii[2]) episcopi praedecessoris sui, non esse Gaudentii Fr. Marxius copiose demonstrare conatus est. (Vd. Sancti Philastrii Brixiensis . . Hereseon liber, Corp. script. eccles. Lat. Vindob. vol. XXXVIII, proleg. VI sq). Sed hoc non feliciter egisse videtur. Dicit enim in p. VII med.: „Scriptus est sermo ille saeculo IX ineunte aut exeunte saeculo VIII Brixiae ab homine quodam, qui, Filastrii gloriae ut succurreret, Gaudentii induerat personam.“ Qua de re contra disserere liceat. Dubito, an Philastrii cultum augeri numquam opus fuerit. Haud sane statim accedet ad Marxii sententiam, qui sciat illius episcopi corpus a. p. Chr. n. DCCCXXXVIII magna cum pompa alium in locum esse translatum (vd. Gal. p. 388 sq). Sed hoc si parvi momenti esse putes, quis post Gaudentii mortem sic, quasi ipse esset ille episcopus, contionari auderet? Nemo enim umquam mihi persuadere poterit hanc homiliam non viva voce, sed scriptura esse pervulgatam.[3]) Non est ergo ambiguum, quin Marxius fuerit cautius dicturus sermonem a Philastrii quolibet successore qualibet aetate sine ullo artificio simulationis esse habitum. Nam quod scriptum est: „agrum . . . non satis idonea successione susceptum,“[4]) haec verba quamvis audacter ita interpretari potuit, ut diceret non primam, sed posteriorem successionem significari; ea autem verba, quae

---

1) Veterum Brixiae episcoporum S. Philastrii et S. Gaudentii opera . . ., Brixiae 1738. 2) Fuit ab a. 383 usque ad a. 397 fere episcopus Brixiensis; vd. O. Bardenhewer, Patrologie 2 p. 378 et M. Schanz, Gesch. d. Röm. Litt. IV, 1 p. 357 sqq. 3) Vd. imprimis haec verba: „Nam cum multa meritorum eius praeconia . . . auditui vestro intulerim“ (Gal. p. 374). 4) Gal. p. 373.

sunt: „quattuordecim iam per annos solemnitatis huius cultum renovans,“[1]) in eum facile referri potuerunt, qui post Gaudentium Philastrii venerationem in certam formam redegerit. Quid, quod Marxius arbitratur Gaudentium, quippe qui esset Philastrii successor, de eius patria, aetate, parentibus vitaque plura relaturum fuisse?[2]) Nonne inest in sermone hic locus: „Pauca haec de virtutibus hominis dei brevissimo sermone memoravi?“[3]) Merita ergo et virtutes Philastrii demonstrare propositum erat, non erat propositum ullam partem vitae describere. Praeterea qui dicit: „quattuordecim iam per annos solemnitatis huius cultum renovans,[4]) ei iam saepe occasio fuit vitae Philastrii tractandae. Ut breviter dicam, facile intellegitur in Marxio suspiciones esse excitatas, quod speraverat magis sermone se adiutum iri ad vitam Philastrii exquirendam; itaque cum spes eum fefellisset, quae pauca de ea re hoc tractatu exhibentur, non flocci fecit; neque enim aliud fieri quam ut res iam diu aliunde cognitae denuo confirmentur aut Augustini verba quaedam huc illuc trahantur aut nonnulla inventione addantur. Haec refutare nescio an operae pretium non sit; itaque rem brevissime attingam. Quod enim etiam in martyrologio Brixiensi est traditum Philastrium XV Kal. Aug. de vita decessisse et Brixiae esse sepultum,[5]) idcirco Gaudentii sermonem omnino non aestimo minoris; nam duplicem rerum memoriam dupliciter laeti semper excipiemus, ut omittam dicere magnam esse quaestionem, num illud martyrologium ante hunc sermonem sit ortum; in eo quidem martyrologio, quod Hieronymi nomine circumfertur ornatum, Philastrii nomen non invenitur.[6]) Iam vero qui illam Philastrii mentionem, quam Augustinus in praef. libri de haeres. facit,[7]) cum Gaudentii verbis[8]) contulerit, in hoc tractatu nihil Augustino esse accomodatum statim sentiet; nam Philastrium contra haereses omnes scripsisse ut Augustinus[9]) sic quilibet alius ex eius libro diversarum haereseon colligere potuit. Quae autem alia in sermone scripta leguntur, eorum ne vestigium quidem, praeterquam quod Mediolani Philastrius aliquando fuit, apud Augustinum exstant. Itaque Marxius

---

[1]) Gal. p. 374. [2]) p. VI. [3]) Gal. p. 374; cf. ibid. p. 373 med. [4]) Gal. p. 374. [5]) Marx p. V. [6]) Marx p. IV. [7]) Marx p. III. [8]) Gal. p. 372: „Sed circumiens universum paene ambitum“ e. q. s. [9]) Marx p. VII.

cogitur dicere haud pauca esse ficta (p. VII). At numquid verisimile est rerum fictorem usum esse tam certis verbis, ut referret: „Romae etiam non exiguo tempore moratus multos et publica et privata disputatione lucratus in fide est?"[1]) Quod autem legimus Philastrium in Mediolanensi urbe idoneum olim custodem domini gregis fuisse et Ariano Auxentio fortiter repugnasse, priusquam beatus eligeretur Ambrosius,[2]) quo iure Marxius opinatur ex Gaudentii praefatione ea esse petita,[3]) eodem nemini non licet dubitare, num recte dicat.

Porro ille dicit: „Stigmata Christi in corpore suo Filastrium portasse libenter addidit (subiector sermonis), quia martyribus . . . Filastrii Brixiensis nomen aut additum modo fuit aut addi auctor volebat." Rogo, hoc modo nonne omnia aut probari aut improbari possunt? Postremo ut argumentationi suae cumulum afferat, in fine scribit: „Adde denique, quod sermo iste in reliquis codd. Gaudentii non invenitur." At ne sermo de Petro et Paulo quidem[4]) exstat in ceteris libris manuscriptis, qui sunt Vatt. 1243 et 4580, Urb. 75, Flor. biblioth. s. Marci,[5]) sed solis ex codd. Urb. 150 s. XIV et Vat. 1235 s. XIII[6]) haustus a Galeardio collectioni sermonum Gaudentii est adiectus. Illam homiliam cur non vocavit in suspicionem, praesertim cum ex codd. s. XIII et XIV sit sumpta, sermo autem, cuius sincera origo suspecta ei videbatur, ex cod. s. XI?[7]) Hi duo tractatus fortasse in numero eorum sunt, quos notarii Gaudentio invito excipere solebant;[8]) nam ea sermonum collectio, quae codicibus continetur, recensa et ad Benivolum, magistrum memoriae Mediolanensem, a Gaudentio missa est.[9]) Haec omnia testimonio sunt nihil esse causae, cur Marxium potius sequamur quam codicem Brixiensem, quo tractatus ab illo in suspicionem vocatus exhibetur. Quod etiam M. Schanzius sensit; nam bis negat Marxii argumentationi se confidere.[10])

Iam elocutio quoque mihi usui sit ad propositum exsequendum. Afferam autem nihil nisi quod Gaudentii maxime sit proprium.

---

1) Gal. p. 372 extr. 2) Gal. p. 372 med. 3) Gal. p. 128 sq. 4) Gal. p. 367 sqq. 5) Gal. p. 201. 6) Gal. p. 201 et Zen. Veron. p. CLXI Giul. (J. B. C. Giuliari, S. Zenonis sermones, Veronae 1883). 7) Gal. p. 201. 8) Gal. p. 220. 9) Gal. p. 219 sq. 10) Gesch. d. Röm. Litt. IV, 1 p. 359 et 361.

sermo suspectus.	Gaudentii sermones ceteri.
p. 370 sq Gal. honorem debitum . . . deferimus	p. 357 sq . . . honorificentiam debitam deferebant; p. 368 debito honore concelebrant
p. 374 cum . . . praeconia . . . auditui vestro intulerim	p. 268 quem (tractatum) dilectioni vestrae intulimus; p. 333 tenuem vestris auribus inferre sermonem
p. 374 ut ipsius quoque suffragio bona, quae poscimus, facilius impetremus	p. 370 eorum precibus ad omnia, quaecumque poscimus, adiuvari
p. 373 operosa quaeque	p. 225 inculpabiles quosque; item pp. 259, 270, 276, 291, 343, 361[1])
p. 372 omnino passus non est	p. 279 omnino . . . non poterunt; p. 305 omnino non possent[2])
p. 372 non solum, verum etiam	item pp. 255, 283, 295, 296[3])
p. 372 et maxime	p. 303 humanum genus et maxime Judaeorum; item p. 334
p. 373 Excidit continuo . . . Plantavit quoque vineam[4])	p. 285 Non possum . . .; paulo post: Lavant . . . p. 343 Urebat acritudo . . . Terebrabantur . . .; p. 344 Ducitur infelix[5])
p. 373 Erat enim . . . Erat idem	pp. 310 et 330 Erat enim; p. 235 Sunt enim; p. 307 Est enim.

Praeterea Gaudentii est proprium attributa, quae cum subiecto coniunguntur et loco enuntiati causalis sunt, magna vi in fine ambitus ponere. Vide haec:

---

1) Nusquam Chrysologus vel Zeno pronomen „quisque" cum gradu positivo coniungunt; ad hanc rem cf. E. Woelfflin, Lat. u. rom. Kompar. p. 81 et A. Draeger, Hist. Synt.[2] I 102. 2) Hanc ergo consuetudinem sermonis Ciceroniani Gaudentius suam fecit. 3) Hoc argumentum non esse parvi aestimandum inde cognoscitur, quod Petrus Chrysologus ubique „sed etiam" usurpat. 4) Saepissime enim Gaudentius praedicata locat in principio enuntiatorum. 5) Paulo post sic quinquies.

p. 372 praedicavit . . . idoneus imitator exsistens; p. 372 neque ... umquam destitit fidelis Christi discipulus	p. 226 magnificat . . . verus dei cultor; p. 272 ut ... fugias iam fidelis effectus; item p. 321 med.
p. 371 Et certe (i. e. ac tamen)	p. 328 Et certe
p. 371 iuxta condicionem carnis	p. 264 iuxta condicionem creabilium bonorum
p. 372 priusquam eligeretur Ambrosius	p. 285 priusquam (bis); p. 362 (quater); p. 302 (semel)[1])
p. 371 valida praescriptione	p. 217 robustam ... professionem.

Hac tabella tam prospere causa sermonis contra Marxium defenditur, ut verbis parcere mihi licere haud immerito arbitrer; nam si forte tu iam dices sermonis subiectorem quoque tam accurate Gaudentii elocutionem imitari potuisse, ego contra dicam ne uno quidem alio loco quidquam esse, quod discrepet a dictione Gaudentiana. Quibus rebus sincera tractatus origo melius demonstratur quam Marxii suspicionibus subditicia. An imitatori contingere potuit, ut omnibus numeris sic exemplar suum sequeretur?

1) Nusquam enim apud Gaudentium „antequam" invenitur, Petrus autem „priusquam" raro usurpat.

Caput II.

Emendationes in Petrum Chrysologum et Zenonem Veronensem.

Optimo iure Fr. Liveranius scripsit malo fato textum Petri Chrysologi valde esse corruptum.[1]) Itaque in Spicilegio magnam copiam lectionum ex codicibus Italicis collectarum proponit.[2]) Illi in hac re cedunt Meursius et Latinus Latinius.[3]) Nam gravia vulnera verborum aut neglexerunt aut male sanaverunt. S. Paulius[4]) autem quamquam summum studium, ut in Praef. p. III dicit, ad Petri sermones emendandos contulit, tot tamen menda in editione sua praeteriit, ut J. P. Migneus[5]) rectius editionem Mitanam[6]) collectioni suae fuerit inserturus. Ut breviter dicam, admodum est necessarium novam Chrysologi editionem via ac ratione curari. Sed ex gravibus indiciis colligere audeo, etsi quam plurimi codices collati erunt, multa tamen tenebris obvoluta mansura esse. Itaque inutile non videtur, quae mihi haud leviter legenti ad Petri orationem corrigendam sunt oblata, aestimationi doctorum proponere.

186 A:[7]) Sic mercatur, ad talem contractum pervenit, qui . . . (pro „mercator"). Lectio editionum idcirco mihi improbatur, quia substantivum „mercator" prorsus languet. Praeterea eadem res, ut iam dixi,[8]) a Petro variatis verbis bis vel ter vel quater proferri solet.

190 A: ne . . . sic nos primario tradamus (pro „tradamur"). Haec emendatio sensu verborum flagitatur; nam ut filius prodigus

---

1) Spicilegium Liberianum, Florentiae 1863, p. 129. 2) p. 140 sqq. 3) Meursius, Exercit. critic. c. XI; Latinus Latinius, Biblioth. sacra et profana p. 98 — 103. 4) S. Petri Chrysologi opera omnia, Venetiis 1750 et ibidem 1758. 5) Patrol. Curs., Ser. Lat., tom. LII. 6) D. Mita, D. Petri Chrys. sermones aurei, Bononiae 1643 et Venetiis 1742. 7) Ex Mignei editione affero locos. Mita iis locis, quos hoc capite tractabo, idem exhibet atque ille. Si tacebo, scias a Liveranio in Spicilegio aut nihil aut mentione indignum proponi. 8) Vd. priorem partem p. 9.

ipse se vendidit civi peregrino, ita nos cavere debemus, ne ipsi nos tradamus diabolo.

192 A: Si adulescentis huius factum displicet, horretur abscessus (pro „horret"). Nusquam apud Petrum aut alios scriptores „horrere" idem significat atque „horrorem inicere;" vd. 201 A, 252 A, 301 B, 308 A, 308 B.

196 B: quando quidquid habet alter, se non computat (invidus) perdidisse? Nec Mita nec Paulius vidit „non" aliquo casu intercidisse.

202 B: Quod autem pastoris boni esset reditus (pro „bonus"). Postquam Christum instar pastoris oves dulcedine iubilationis invitare dixit, eundem bonum esse pastorem addit, id quod doceant verba Jesu ipsius, quae sunt: „Ego sum pastor bonus."

205 B: Hypocrisis secura simulat, fallit prospera, incuriosa mentitur (pro „curiosa"). Supra dixit omnia adversa palam pugnare ob eamque rem facile caveri; nunc demonstrat hypocrisin nihil aliud agere quam ut otium et pacem simulet. Quae cum ita sint, quid accedere potest ad „secura" et „prospera" nisi „incuriosa"? Adde, quod „curiosus" apud Petrum idem significat ac „rerum novarum studiosus" (vd. 573 A), quae verbi potestas contextui sententiarum hic repugnat.

206 B: neque faciem nitescere insolito vult lavacro (pro „solito"). Petrus, quod sentiebat, his quoque verbis exsequi potuit: „Christus cum dicit: „Unge caput tuum et faciem tuam lava," christianum artifici maerore ieiunium prae se ferre noluit. Sedtamen nemini licet in ungendo et lavando ultra modum solitum progredi."

207 A: tali poenae vivit (pro „poena"). Huius dativi exempla sunt haec: 471 B poenae vivunt, vitae pereunt; item 541 D.

207 A: et si ita se vacuat . . ., qui terrae . . . mentitur, quid faciet . . . qui deo . . . mentitur? (pro „et ita" sine„ si"). Summo cum gaudio hanc lectionem, quam semper necessariam arbitratus eram, nuper in cod. Monac. 23621 inveni.

211 A: ut maluerit deus reduci sententiam (pro „deduci"). Ita emendare et sensus orationis et haec exempla cogunt: 211 A sententiam revocat; 290 B relaxare sententiam.

213 B coram se solo (pro „solum"). Adverbio „solum" nihil loci est apud Petrum nisi in illa usitata verborum copulatione „non

solum, sed etiam." Nam cum substantivis aut adverbium „tantum" aut adiectivum „solus" coniungere solet; vd. 343 D in solo dei nutu, in dei tantum arbitrio (Mita); similiter 487 A; adde 212 B a deo solo, 266 B die solo, aliaque multa. Cum accusativo[1]) autem nusquam in Chrysologi scriptis praepositio „coram" copulatur; vd. 198 B coram patre; item 211 C, 232 C, 262 A.

223 B: dolis appetere n o s praesumet (pro „non"). Recte me sentire apparet ex verbis praecedentibus „neque nos . . . p u b l i c o conflictu provocare audebit" et ex sequentibus, quae sunt: „diaboli fraudulentas et occultas deprimat et declinet insidias" (animus).

239 A: ubique videbat ut deus; videbat ub i que et desperatos videbat (pro „utique"). Saepissime scriptor singula verba repetit, ut gravitas maior insit in sententia. Adice, quod apud Petrum „utique" eandem vim habet ac „scilicet" vel „enim"; vd. 281 D aliaque.

241 A: in creatur a s amplius nil licere (pro „in creaturis"). Cf. 243 A in homines nil licere, quibus in porcos iussum est, ut liceret; similiter 539 A.

257 B: cum . . . hor a m novissim a m . . . confusiones rerum nuntiant, quae p r a e c e d u n t (pro „hora novissima" et „procedunt"). Illud ego emendavi, hoc cod. Monac. 23621 obtulit.

260 B: iacens animus plebei u m nummulum thesauris regalibus anteponit (pro „plebeius"). Quis non intellegit „nummulum" et „thesauris" sibi opponi ob eamque rem etiam adiectivo „regalibus" contrarium desiderari? Huc accedit, quod alibi similes oppositiones occurrunt: 265 A plebeium cultum regia non admittit potestas; similiter 269 C.

265 B: Peculia quoque pristin a libertatis iam divitiis, iam regiis ditatus opibus qui reservat (pro „pristinae"). Paulo ante dixit: „abiecta et vilia p e c u l i a s e r v i t u t i s iubet abicere regnaturum." Inde efficitur, ut substantivum „libertatis" non vocabulo „peculia," sed substantivo „divitiis" adiungendum sit. Hoc qui perspexerit, simul intelleget adiectivum „pristinus" adverbio „iam" respondere et ad „peculia" esse revocandum.

285 B: qui . . . tenetur in lecto e t . . . ad domum patriae non potest pervenire (pro „ut"). Miror, quod et Mitam et Paulium fugit

---

1) Vd. Neue-Wagener ³ II 928.

coniunctionem „ut“ indicativo „potest“ minime esse congruentem. Neque enim ea hoc loco aliam vim habere potest nisi eandem ac nostra coniunctio „daß.“ An putas hoc enuntiatum respondere praecedentibus verbis „scimus, ut (wie) publicanus gentilis populi typum teneat...“? At sic cogeris subiectum „Judaicus populus“ supplere, id quod orationi perspicuitatem subtrahit, nec bene respondet indicativus „potest“ coniunctivo „teneat.“

293 A: prodere passiones, quas sumunt et perferunt (pro „proferunt“). Si parentes passiones proferunt i. e. prae se ferunt, non iam est opus prodere. Adde 521 A quae (Maria) nullas . . . pertulit passiones.

299 A: quomodo ibi celeritatem sermone perstringeret? (pro „sermonis“). Quamquam haec emendatio defenditur et intellegentia humana et eo, quod orator paulo ante dixit: „quia velocitatem resurrectionis non potuit referre verbis,“ tamen exemplis quoque eam confirmare liceat: 317 C superiori sermone perstrinximus; item 424 C.

299 C: fidei trepidans de consilio (pro „trepidante“). Apud Mitam et Paulium constructio verborum adeo nutat, ut discrepet a composita et rotunda Petri oratione. Sed scriptor ipse vulnus sibi inflictum sanat; vd. 415 C non de sexu trepidantes; 453 C trepidat de ruina; item 618 A.

302 A: mentis suae lumina (i. e. oculos) confusionum nebulis ipsa (sc. haemorrhoissa) caligabat (pro „lumine“). Hoc cum sensu verborum tum maxime sermonis Petrini consuetudine flagitatur: nam uno loco excepto (549 B) verbum caligandi fungitur munere verbi transitivi; vd. 315 A, 334 C, 410 A, 493 A.

315 A: tetrae nubes caligant caelum (pro „terrae“). Vd. 410 A tetra nubes; 420 A tetra... caligo (Mita); 444 B tetro... nubilo.

317 C: orationem nostram pietatis erigamus adiutu (pro „auditu“). Lege quaeso totum hunc locum, tum perspicies Petrum etiam hic[1]) eandem sententiam variatis verbis ter repetere. Non potest ergo fieri, ut ad vocabula „exhibitione“ et „patronam“ non accedat id verbum, quod similem sensum habeat.[2])

---

1) Vd. p. 10. 2) Non omitto admonere etiam in col. 413 A editiones falso „aditum“ exhibere pro „adiutum“ (vd. infra).

325 A: Pestilentiae cathedram philosophia posuit (pro „philosophiam"). Vide paulo post ea membra, quae huic respondent: „Cathedram pestilentiae pharisaeus proposuit . . . In cathedra pestilentiae haereticus sedit."[1])

326 A: argue me, non ut perdas, sed corrigas (pro „corripias"). Quae membra rerum ratione inter se cohaerent, eorum conexionem scriptura quoque significabo:

argue me, sed non in ira,
corripe me, sed non in furore;
argue me ut pater, non ut iudex,
corripe me non ut dominus, sed ut parens;[2])
argue me, non ut perdas, sed corrigas,
corripe me, non ut interimas, sed emendes.

Nonne sunt membra, quae incipiunt a „corripe", quasi effigies ad exemplum respondentium expressae? Accedit, quod apud Petrum „corripere" nusquam idem est quod „corrigere," ut apud alios scriptores.[3])

332 C: qui consummationem saeculi credit, quid de saeculi minoratione causatur? (i. e. queritur)[4]) (pro „qui"). Restitui concentum et sententiarum et constructionis verborum.

334 A: ad te deus se per istas deponit, te per istas sequitur, per istas te perquirit angustias (pro „ista"). Quamvis leviter naturam dictionis Petri noveris, sententiae meae accedes.

335 A: cui . . . repensare vicem deberes in filio (pro „filium"). Quod natura linguae postulat, exemplo quoque simili comprobatur: 500 D quid aliud Abraham quam corpus suum immolabat in filio?

335 B: quod humanum est, nil divinum (pro „nihil"). Sine hac mutatione solitus clausulae numerus non exsistit; cf. 472 C seminis nil habebat; item 521 A, 539 A, 540 A. Omnibus his locis clausula rhetorica constat ex cretico et binis trochaeis.[5])

361 B: mystico sermone dilata et replebo illud (pro „ditabo"). Omnia acerrima norma direxit; vide quaeso hanc circumscriptionem:

---

1) Erraverit licet typotheta, in neutra tamen editione mendum esse correctum satis miror. 2) In his duobus membris chiasmum adhibitum esse ipse animadvertas. 3) Vd. infra ad col. 527 B. 4) Petrus hanc significationem verbi non semel exhibet; cf. etiam indices scriptorum et Forcellini-De-Vit s. v. causor 2. 5) Vd. priorem partem p. 18.

dilata	in confessione	et replebo	confessionis sacramento
dilata	mystico sermone	et replebo	caelestis arcani eloquio.

370 A: ut . . . esse filium discas; discens filium . . . (pro „dicens"). Apparet figuram gradationis a scriptore esse usurpatam.

373 C: sermo ut annuntiat patrem, mox te... transmittit (pro „annuntiet"). Hoc esse enuntiatum temporale et comprehensio sententiarum et usus loquendi docet; vd. 394 C, 507 B, 251 B.[1])

376 A: ut ius non maneret inferni (pro „ius maneret" sine „non"). Maneret idem valet atque „esset" vel „exstaret;" vd. 385 C, 415 B, 479 A. Hoc loco agitur de filia Iairi, quam scriptor negat claustra tartari, cum a Christo suscitaretur, iam vidisse. Paulo post enim opponit Lazari resurrectionem his verbis: „quem circa et vis tota mortis impleta est."

380 C: Mors cum satis viventibus sit amara, satis turbet ipso exitu, plus conturbat exemplo (pro „turbat"). Petrus dicit, ut ex sequentibus elucescit, minus horrendum esse de vita ipsum decedere quam alios morientes videre.

392 B:[2]) qui secum nos fecit heredes, qui nos suo nomine sublimavit (pro „rerum" et „nos nomine"). Ita emendare congruentia aequalitateque membrorum cogor. Namque sic respondent sibi in toto ambitu „se nobis," „sibi nos," „secum nos," „nos suo," „nos suo." Codex quoque Corbeianus ex parte mihi suffragatur.[3])

392 B: Hoc petere iubet, quod prohibet cogitare? Quid tenemus? (pro „quatenus"). Appendix[4]) hunc locum tenebris obvolutum in lucem protulit. Nam Petrus cum interrogationibus animos audientium sibi devinxit, respondet incipiens: „Quid tenemus?" (i. e. „quid habemus?" „quae est res?" „quid intellegendum est?"); vd. 448 A; similiter 443 C.

393 A: Rogamus ergo (pro „Rogemus"). Hoc loco non continetur hominum adhortatio, sed explanatio rerum; vd. 393 A rogamus.

---

1) Vd. A. Draeger, Hist. Synt.[2] II 600, qui adverbium „mox" omisit.

2) Sermones 67, 68, 70, 71, 72 Paulius bis imprimendos curavit. Postquam enim eos iam inter ceteros edidit, appendici rursus inseruit (col. 665 sqq), quasi Petro suum recuperaret. Nam eum fugiebat acta se agere. Invenerat eos in Spicilegio a L. D'Achery Par. 1723 edito (p. 215 sqq), quem in librum e codice quodam Corbeiano erant translati. Quinquies hic appendix auxilio mihi erit.

3) Mign. col. 667 B. 4) 667 B.

392 A petimus: similiter 399 C, 402 B. Etiam appendice exhibetur „rogamus".[1])

394 B: divini spiritus perorabat afflatu (pro „affatu"). Quod aliud vocabulum accommodatius est spiritui? Vd. item 404 B divini spiritus perorabat afflatu, 639 B flante spiritu sancto.

394 B: quia unus ipse idemque homo (pro „quatenus"). Huic loco crassis tenebris circumfuso auxilio appendicis[2]) clara lux adfulsit.

394 C: nihil in se vitiis licere (pro „vitii"). Vd. 241 A, 243 A. Pariter in col. 539 A „infernis" vel „inferno" pro „inferni" scribendum est.

398 A: ut generi tanto vita nostra respondeat, ne terreni mores degenerent, quod caelestis donavit . . . natura (pro „quos"). Substituo „quod" pro „quos" et ad „generi tanto" refero, quia caelestis natura homines donare non potest.

398 B: sicut virtutum fama nominis tanti respondet ad gloriam (pro „tantum"). Non solum verborum sensus, verum etiam apodosis, quippe quae protasi aequalis et congruens sit formata, ad hanc mutationem adducit. Adice haec exempla, ubi eadem res exponitur: 399 C tanti nominis; 395 A tanto generi; 398 A generi tanto.

403 C: nauta maris non intraret incerta (pro „mare . . . incertus"). Non de timore, sed de periculis nautae agitur, quamobrem appendicis scripturam[3]) secutus sum.

406 C: Haec interpretatione non indigent, quia . . . (In editionibus deest „non"). Quis christianus nescivit tentationis auctorem esse diabolum?[4])

413 A: Revolvit lapidem (angelus), non ut egredienti domino praeberet adiutum (pro „aditum"). Numquam non discrepant a se „egredi" et „aditus."[5])

419 C: Quod prosternit terror noxios, ad conscios mors recurrit (pro „Quos" et „mox"). Hoc loco ter de terrore et morte agitur. Item „quod" ex contextu sententiarum enucleavi.

424 B: qui ergo ista capere non potest. (In editionibus „non" deest). Repetivit sententiam, quam supra induxerat dicens: „Quis causas capere dominicae nativitatis potest?"[6])

1) 667 C. 2) 669 A. 3) 675 B. 4) Sequor appendicem (678 A). 5) Cf. in hoc capite supra ad col. 317 C. 6) Eundem sensum complectuntur sequentia (424 B_{13}).

436 A: haud immerito sermo deservit (pro „sermone"). Librarii et editores opinati esse videntur huius enuntiati subiectum esse substantivum „dominus". Sed quantum erraverint, ex ea re una cognosci potest, quod paulo post exstat „dominicae passionis", non „suae".

439 A: nisi . . . resulcares . . . exarata sic viscera (pro „sulcares"). Qui viderit exstare verbum exarandi, eum spero mihi assensurum esse; cf. 438 C cur (Thomas) ea vulnera . . . sic resulcat? ibid. latus . . . refodere.

454 A: senectuti emortuae (pro „mortuae"). Vd. 551 B emortuam senectutem, 397 A emortua . . . senis membra, 453 A emortuis . . . senectute corporibus; Gaud. p. 302 Gal. membra . . . emortua.

456 B: Euangelista . . . refert, non quid non habuerint, sed quid acceperint (pro „habuerit" et „acceperit"). Non euangelista, sed Zacharias et Elisabeth gratiam dei acceperunt. Nam illud euangelistae „ambo iusti ante deum" explanans semel atque iterum orator dicit non per se, sed gratia dei eos hanc laudem esse assecutos.

457 A: totum, quod humanam confundit, gravat, onerat conscientiam (pro „humanum"). Saepissime verba inter adiectiva attributiva et substantiva interponit; vd. 645 B (bis) aliaque permulta.[1])

461 B: claustra domus non perrumpit extraneus (pro „prorumpit"). Verbum prorumpendi dissentit ab orationis sensu.

461 B: arbiter luctuosus (pro „luxuriosus"). Nonne prorsus caret sensu vocabulum „luxuriosus"? Sed nullius negotii est locum sanare. Namque Magdalena cum eo confertur, qui convivium perturbet. Illa numquid luxuriosa tum fuit? Immo vero „onusta luctibus", ut ait Petrus ipse (461 B_9).

462 A: venit satisfactura deo, non homini placitura convenit (pro „cum venit"). Nemo non sentit lectionem editionum esse languidam; sed vd. 246 B caelestia dare cupit, non concupiscit invenire terrena; similiter 384 C, 461 A multaque alia.[2])

469 C: sensibus subiacerent (pro „subicerentur"). Etiamsi codicum Paris. 2145 et 16867 auctoritate non adiuvarer, sine ces-

---

1) Cf. infra idem ad col. 504 et in proximo capite ad Spicilegii Liber. p. 155 extr. 2) De hac dicendi ratione in priore parte disputavi (vd. p. 10). Cf. Blätt. f. d. Bayer. Gym. XXXIIII p. 274.

satione „subiacerent“ scriberem; vd. 316 C casibus subiacere; item 325 C, 402 C. Clausula quoque rhetorica sic restituitur (cret. + duo troch.).[1])

479 A: in alvo virginis, immo in alveo virginis (pro „alvo“). Alvus Mariae fuit quasi alveus quidam, in quo caro humana fermento Christi est conspersa.

489 B: Nam per supplicantes ecclesia lacrimas fundit (pro „per supplicantem ecclesiam“). Hoc ut breviter absolvam, rerum et verborum contextum perspicua ambitus dispositione exprimam:

quid modo (Christus) faciet, quando inardescet . . .
ad ecclesiae suae lacrimas diuturnas,
ad sponsae suae sanguineos sudores?
Nam per supplicantes ecclesia lacrimas fundit,
per martyres sacrum sanguinem sudat.

493 C: ut sui oneris aperiret auctorem (pro „operis“). Orator haec dicit: „Propheta non solum queritur onere gravi se premi, verum etiam nominat oneris sui auctorem“.

502 C: Obsequium ratione carens fervor est (pro „calens“). Ne praetermiseris id, quod sequitur: „furor est, quod ratione non frenatur“.[2])

504 B: Tribulatio . . . velut primam . . . conturbat infantiam (pro „prima“). Vide, quae supra dixi ad col. 457 A.

514 D: sententia, quae dicit (pro „qua“). Vd. 508 B sententia, quae dicit; 318 B scriptura, quae dicit; 337 A lectio . . ., quae dicit.

527 B: saeculi vitam corripit (pro „corrigit“). Verba „arguit“, „iudicat“, „castigat“, quae sequuntur, iuxta se solum „corripere“ tolerare possunt. Semper enim apud Chrysologum haec vox idem valet quod „vituperare“; vd. 462 B deus cum stat, corripit; cum sedet, iudicat; item 487 B, 569 C, 605 C.[3])

529 B: ad summam (pro „summum“). Ut Cicero, sic etiam Chrysologus ea, quae dixit, breviter complecti amat et terminare locutione „ad summam“; vd. 247 B, 277 A, 385 B, 541 C. Verba autem „ad summum“ temporibus posterioris Latinitatis nostro adadverbio „höchstens“ respondere solebant.[4]) Quo cognito etiam in col. 603 C mecum scribas „ad summam“.[5])

---

1) Vd. priorem partem p. 18. 2) Cf. 595 C ratione caret. 3) Vd. supra p. 14 ad col. 326 A. 4) Vd. lexic. Georg. s. v. superus III C. 5) Vd. Merguet, Lex. z. d. philos. Schrift. Cic. vol. III s. v. summa.

539 B: nisi forte . . . hic sibi credit eius patris domum, eius gratiam custodiri, cuius ibi negari sibi sinum videt, videt requiem pernegari (pro „sic" et „gratia"). Hanc mutationem et sensus verborum et concinnitas membrorum flagitat; nam ita sibi vocabula respondent: „hic" et „ibi," „domum," „gratiam" et „sinum," „requiem".

552 A: apponitur in natali (in editionibus deest „in"). Praepositionem „in" addere numeris clausulae oratoriae iubeor (cret. + duo troch.).[1]) Recte autem me iudicasse cod. Monac. 14039, quem nuper partim excussi, ostendit.

557 C: deum sola fides attingit, credulitas sentit sola (pro „tota"). Non modo verba, quae sunt „sola fides," sed etiam praecedentia atque imprimis dictio Chrysologi cogit hanc emendationem facere.

559 C: qui semel incredulitatis demersit obscuro (pro „semet"). Vd. 571 A quem semel (Mita), 559 B quod semel.[2]) Quod autem significationem verbi demergendi reflexivam esse puto, vide lexica indicesque et haec exempla e Petro ipso sumpta: 593 A vivus emergit a lacu, 593 B ut emergeret . . . progenies.

581 B: ille (Zacharias), quae deus iubet, fieri non posse praescribit (pro „perscribit"). Verbum praescribendi eiusdem sententiae esse ac „dicere contra aliquem" i. e. „einwenden" et ex libris iurisconsultorum et ex Petro ipso probari potest; vd. 438 B Ubi sunt, qui per homines hominibus remitti peccata non posse praescribunt?

584 A: quae (Maria) matris et praetulit dignitatem (pro „pertulit"). Matris dignitas non est onus, sed honor, ergo non perferenda, sed praeferenda[3]) Item 304 A, 401 C, 479 A.

585 B: ut Christum invenisse gaudeant, discutere non praesumant (pro „discurrere"). Compluribus locis christianos admonet, ne secreta ortus Jesu discutiant i. e. temere percontentur; vd. 582 C discutere non praesumant; item 578 B, 579 A.

591 A_5 et A_{12}: Pariet filium (pro „paries"). Affert illa verba, quae apud Matthaeum euangelistam traduntur (I 21). Vd. 589 A, quo hoc mendum non irrepsit.

---

1) Vd. priorem partem p. 18. 2) Vd. Forcellini-De-Vit s. v. semel III 5.
3) „Praeferre" eandem vim habet ac „prae se ferre".

595 B: ut hominis mundanus non haberet, quod violaret, affectus (pro „quid"). Vd. 589 A quia quod homini diceret, non habebat; 214 A dedit habere, quod dares.

595 C: non respicit vis amoris (pro „ius"). Non ius, sed vim amoris describit.

610 B: si eorum non inquinentur attactu (pro „inquinent thura tactu"). Fieri non potest, ut censeas Petrum dixisse tura deorum inquinari a christianis; immo vero christiani deorum attactu inquinantur. Substantivum „attactus" apud eum aliis quoque locis invenitur, velut 357 C, 475 C; sed per me etiam licebit scribere „ad tactum"; vd. 301 C ad tactum . . . sordidari; item 435 C.

613 A: ut antichristus subruatur (pro „subruat"). Verbum subruendi neque apud Chrysologum neque apud alium scriptorem significationem intransitivam habet; vd. 259 A funditus subruuntur.

615 C: ancillula servulorum (pro „servorum"). Ita propono, quia Petrus in conclusione clausulae semper deminutivum huius substantivi usurpat; vd. 264 C pedibus servulorum; item 481 A. Sic oritur is rhythmus clausulae, quem multum amat (cret. + duo troch.).

616 C: quare sic mundum suum Christus intrat (in editionibus deest „suum"). Quoniam in codd. Par. 2145 et 16867 ita scriptum est, huius rei exempla et quaesivi et repperi: 397 C mundum suum pauper ingreditur; item 435 B, 631 A.

624 A: fessus indefessa manicabit ad verbera (pro „indefessus"). Scriptor quoniam ante dixit servos sibi nihil aut parum noctis reservare ad edendum et dormiendum, putare non potest eos indefessos manicare: solet autem adiectivum „indefessus" vocabulis adiungere, quae significent actiones; vd. 262 B et 396 C excubiis indefessis, 473 C indefessum . . . laborem.

626 C: Hic tibi sic coheres est (pro „heres"). Interpretatur illud Pauli apostoli, quod est: „Heredes quidem dei, coheredes autem Christi" (Rom. VIII 17). Itaque hoc loco Christum coheredem hominis appellat. Quomodo enim dicere potuit illum esse hominis heredem? Accedit, quod infra haec verba facit: „te coheredem sibi voluit". Similiter 391 A, 398 A, 399 A, 401 C.

Non ita multas emendationes attuli, sed apparet editores saepe ne apertissimas quidem corruptelas animadvertisse aut tollere conatos esse: itaque spero aliquando diligentia maiore opibusque perfectioribus

perfectum opus iri absolutum. Mihi autem ipse nihil magis opto quam ut demonstraverim compositione similium locorum verba Petri Chrysologi feliciter posse emendari.

Iam ad Zenonem transeo.[1]) Etsi haud paucae coniecturae fieri possunt, tamen quinque solum proponam, quas spero plerosque probaturos esse.

I 3, 7 p. 33 Giul.[2]) qui in hoc ipso, quo loquimur, quid possit contingere, ignoras (pro „quod"). Ad „quo" suppleo „tempore". Similiter legitur I 4, 2 p. 37 in ipso fructu suo, quo . . . aliena labe gaudere consuevit, semper infelix est; item I 5, 4 p. 47.[3])

I 6, 2 p. 57 sollemnisque remigii specioso discursu (pro „remigis"). Nec potest adiectivum „sollemnis" personae adiungi et sensus verbis deest sine substantivo „remigii". Hanc emendationem eo libentius propono, quod alio loco[4]) codices exhibent „opificis" pro „opificii".

I 8, 2 p. 68 obtemperat incoactus (pro „incolatus"). „Incoactus" unum est illud verbum, quod praebet sensum.

I 9, 4 p. 75 Illinc alius (pro „Illic"). Respondent sibi „Hinc unus", „Illinc alius", „Alius inde". Cf. I 12, 5 p. 87 med. „Hinc", cui adverbio opponitur „Illinc" (I 12, 6 in. p. 88). Item se ipsa excipit vocula „Hinc" (vd. p. 122 med. et extr.).

I 16, 2 p. 117 suorum corporum exuviis exui. Infinitivus sequenti infinitivo „dissolvi" respondens desideratur; quam ob causam „exui" interposui, quod verbum post „exuviis" intercidisse videtur. Huc accedit, quod Zeno[5]) figuram annominationis non minus amat quam Petrus Chrysologus[6]) et plerique scriptores illius aetatis.[7])

---

[1]) Cf. priorem partem p. 39 sq (Observationes criticae ad editionem Zenonis Giulianam). [2]) De hac editione vd. p. 7 adnot. 6. [3]) Hanc rem breviter attingit K. Sittl, D. lok. Verschiedenh. d. lat. Spr. p. 138. [4]) Vd. I 12, 2 p. 85 emend. 5. [5]) Vd. I 4, 6 p. 42 pulchrius suae pulchritudinis ornamentum; I 7, 2 p. 64 merito mereri; II 27, 3 p. 226 omnia omnino. [6]) Vd. priorem partem p. 10 sq. [7]) Vd. E. Norden, D. ant. Kunstprosa pp. 614, 620, 623, 640 adnot. 1.

Caput III.

Censura lectionum a Fr. Liveranio in Petrum Chrysologum allatarum.

Fr. Liveranius complures codices Italicos excussit et ad octoginta fere Chrysologi tractatus varias lectiones in eo libro edidit, qui inscribitur Spicilegium Liberianum.[1]) Quarum optimas vel potius rectas commentationi meae intexam; sed non solum colligam eas conscribamque, — hoc non multi sudoris est — verum etiam exemplis et ratiocinatione comprobabo.

Spic.[2]) p. 141 extr. Quid est, quod intellegentia huius exsultationis inquiritur? (pro „inquirit" Mign. 202 A).[3]) Interrogat, qua de causa homines ad gaudium invitentur. Paulo post ipse respondet dicens: „Quid aliud est, nisi quod deus personam pastoris induit?" e. q. s.[4])

p. 142 med. ut iustitiam in ipsa miseratione rationemque custodiat (pro „ratione" Mign. 205 A). Sensus est hic: Deus etiam in miseratione rationem custodit; neque enim fertur nimia miseratione ad actiones, quae ratione careant.[5])

p. 143 in. hic . . . invenisti laudem (pro „nec" Mign. 205 C). „Hic" idem valet atque „in terra". Paulo post[6]) de eodem hypocrita idem dicit.

p. 143 med. facies maerore deiecta invitam famem, non ieiunium voluntarium profitetur (pro „invitat famam" Mign. 206 C). Quam bella oppositio verborum orta est.

p. 145 med. effusio nil deperdat (pro „perdat" Mign. 223 B). Clausula constat ex cretico et duobus trochaeis; vd. p. 14 ad col. 335 B.

---

1) p. 140 sqq. Cf. huius quaestionis p. 10 adnot. 1 et 2. 2) Sequentibus locis vocem „Spic." addere desistam. 3) Si tacebo, scias Mitae lectionem cum lectione Migneana congruere. 4) Locutionem „quid est quod?" exemplo aliorum, velut Ciceronis, pro adverbio „cur" usurpat; pariter dicit „hinc est quod" loco coniunctionis „itaque". 5) Liceat mihi adicere etiam in cod. Monac. 23621 me invenisse „rationem". 6) Mign. 206 A.

p. 146 extr. passionibus comprobatur (pro „probatur“). Propter clausulam (cret. + duo troch.) hanc lectionem praefero; cf. Mign. 185 A largitas comprobavit.

p. 149 extr. varietates arguit et culpat animarum (pro „culpas“ Mign. 258 B). Collocatio verborum, quae exstat in editione Migneana, aliena est a Chrysologo.

p. 150 extr. beatitudinis eloquitur qualitatem (pro „caritatem“ Mign. 263 A). Vide, quae sequuntur:[1]) „ut . . . audiamus, quid suis filiis promiserit“.

p. 152 in. si hoc ipsum, quod es, accepisti, accepisse te, quod habes, quomodo tu negabis? (pro „das“ Mign. 272 B). Cf. 646 C Te ipsum, cum non esses, dedit esse, et quidquid, homo, habes, dedit ipse; similiter 465 D.[2])

p. 152 in. tanto maius se debitum non dubitet redditurum (pro „dubitat“ Mign. 272 B). Ex sequentibus apparet prorogatores ecclesiae ab eo ad innocentiam admoneri.[3])

p. 154 in. posse prosterni. Velatur (pro „velatus“ Mign. 283 C). Si quis clausulam oratoriam „posse prosterni“ (cret. + troch.) detexerit, post „prosterni“ probabit trimembrem periodum, quae est: Velatur qui . . ., occultavit qui . . ., texit qui . . .

p. 155 extr. salutarem sensit . . . largitatem (pro „salutare“ Mign. 294 A). Vd. huius quaestionis p. 17 et 18.

p. 156 med. ibi retro nil erat, ubi faciem . . . invenit (pro „ubi? Retro nil erat, ibi“ . . . Mign. 297 A). Quam inoffensa labitur sic oratio.

p. 160 in. de regione vitae (pro „regimine“ Mign. 323 C). Dicit Adam et Evam ex paradisi deliciis esse expulsos. Eandem rem alibi eadem fere ratione exsequitur: 381 B quem ego posui in paradiso, in regione vitae.

p. 160 med. oves illae, quae sui voce emissa pastoris attrahuntur, nutriuntur, congregantur, (pro „vocem admittunt pastoris, attrahunt, nutriunt, congregant“ Mign. 329 A). Quis est, qui intellegat, quid sit „oves vocem pastoris congregant“? „Emissa“ autem

---

1) Mign. 263 A_{12}. 2) Etiam cod. Monac. 23621 exhibet, ut ipse vidi, „quod es“; item cod. Caes. (vd. edit. Mit. p. 35 in marg.). 3) Item ac Spicilegium cod. Monac. 23621.

idcirco probare cogor, quod is cod. Laur., ex quo Liverianus hausit, cetera quoque verba sanavit.

p. 162 med. Christus et nostras . . . noxias despicit voluntates (pro „respicit“ Mign. 341 C). Ante dixit:[1]) „deum non quaerere insipientium voluntates“ et paulo post sequitur hoc: „et ad salutaria nos remedia . . . perurget invitos“.

p. 162 extr. in praesenti (pro „in praesentia“ Mign. 345 B). Non ignoro utramque locutionem apud scriptores exstare, sed Petrus praefert „in praesenti“; vd. 406 B, 436 A, 539 B.

p. 164 extr. quam faciet moram? (pro „facit“ Mign. 391 A). Noli praetermittere tempus futurum „non dabit“, quod praecedit.[2])

p. 165 in. causa non dicentem respicit, sed iubentem (pro „docentem“ Mign. 391 B). Cf. 399 A quia praesumptio dicentis non est, ubi auctoritas est iubentis; similiter 441 B.[3])

p. 165 med. caelestem thesaurum senserat repperisse dicente Paulo: Portamus hunc thesaurum in vasis fictilibus. Custodivi me . . . (cf. Mign. 394 A). Magna lacuna[4]) hic locus hiaverat, quamobrem eius sensum nemo percipere potuit. „Custodivi me“ ex appendice Paulina sumpsi;[5]) nam scriptor repetit scripturae sacrae locum, quem paulo ante attulit.

p. 165 extr. quid muneris, quid honoris, qui . . . (Mign. 399 A sine „quid honoris“). Ita oratio numerose cadit (cret. + duo troch.).[6])

p. 166 in. a quo (diabolo) tentatur homo (pro „tentaretur“ Mign. 400 B). Cum appendix[7]) tum maxime continuatio sermonis defendit Spicilegii lectionem. Nam omnium temporum homines scriptori ante oculos versantur.

p. 166 med. ignorantiam dolosos deducit in lapsus (pro „educit“ Mign. 403 A). Cf. 541 B ad poenam deducit ingratos; item 509 B.[8])

p. 166 med. pavescunt virtutes supernae, caelum non capit (pro „virtutes, supernum caelum“ Mign. 404 A). „Virtutes supernae“

[1]) Mign. 341 A. [2]) Etiam appendice editionis Paulinae haec lectio commendatur (Mign. 665 C). [3]) Hic quoque congruit appendix Paulina (Mign. 666 C). [4]) Librarius vel typotheta a priore substantivo „thesaurum“ ad posterius transiluit. [5]) Mign. 668 D. [6]) Vd. priorem partem p. 20. Appendix stat a Spicilegio (Mign. 671 B). [7]) Mign. 672 C. [8]) Appendix exhibet idem (Mign. 675 A).

est locutio copiosior pro „angelis“; vd. 396 C supernae dominationes; 402 A supernae potestates.[1])

p. 168 med.[2]) qui (lapis) acceperat mortis tenere custodiam (pro „custodem“ Mign. 413 A). Si quis probet „mortis custodem“, putare videtur a Christo mortem custoditam esse.[3])

p. 169 extr.[4]) Si tunc orbem radiasset, et sustulisset . . . et nihil . . . reservasset. Nunc vero (pro „Tunc“ sine „Si“ et „Nec vero“ Mign. 484 B). Verba „nunc vero“, ut assolet, enuntiatio condicionalis eaque irrealis sic praecedit; vd. 469 C, 477 B; pro „nec vero“ Mita recte „nunc vero“ scribit.

p. 170 extr. quod (corpus) operit sedem spiritus (pro „sensum“ Mign. 486 A). Nihil magis respondet verbis sequentibus, quae sunt „quod cordis domicilium velat“.

p. 174 extr. habebit hunc nudum tartarus, quem locupletem suscipere caelum non potuit (Mign. 545 B sine „non“). Vide, quae sequuntur: „mendicum sempiternitas possidebit“.

p. 176 med. euangelicae fidei calore iam fota (oliva) redit in ramos (pro „tota“ Mign. 548 C). Sensus verborum hanc lectionem probat. Sine dubio etiam 664 A est scribendum „divino imbre fota . . . membra“ et 497 B cum Latinio „fota caelesti imbre“ (ficus sterilis).

p. 178 med. Ave,[5]) hoc est accipe. Quid? Virtutum munera, non pudoris (pro „virtutes munerum“ Mign. 583 C). Cf. 585 C ubi virtutis conscientia est, non pudoris; 576 A munera virtutis. His tribus locis de conceptu Mariae agitur.

p. 179 med. De fructu ventris tui (psalm. CXXXI 11). Bene de fructu ventris tui, bene de utero (pro „fructus“ Mign. 589 C). Scriptor cum locos sacros repetit, ad verbum iterare solet. Praeterea verba „de utero“, quippe quae nihil aliud sint quam variatio praecedentium, „de fructu“ flagitant.

---

1) Spicilegio appendix auxilio venit (Mign. 675 D). 2) Non omitto admonere a Liveranio hic ordinem tractatuum iustum relinqui; nam a sermone 83 ad sermonem 75 revertitur. 3) Etiam cod. Caes. exhibet „custodiam“ (vd. Mign. adnot. a). 4) Hic transilit Spicilegium complures sermones et incipit a tractatu 102. 5) Scriptor „ave“ pronuntiavit, sed „habe“ sensit; de hac confusione litterarum v et b vd. Fr. Stolz, Histor. Gramm. d. lat. Spr. I 286.

Caput IIII.

Num Fr. Liveranius novem sermones in codicibus Italicis inventos recte Petro Chrysologo adscribat, diiudicatur.

Fr. Liveranius non solum nullum tractatum editionis Migneanae Petro adimendum esse arbitratur,[1]) sed etiam restituendos aliquot, qui codicibus Italicis quibusdam aut Severiano[2]) attribuuntur aut Chrysostomo. Sed quam insolita et nova est eius ratio demonstrandi.[3]) Namque ut taceam eum omittere de fide et aetate manuscriptorum satis nos docere, quia nonnullis Florentinis codicibus[4]) compiures Chrysologi tractatus Severiani opera appellantur, idcirco sine ullo iudicio, quidquid in his manuscriptis prae se fert nomen Severiani, Petri esse colligere audet. Eadem de causa pro Chrysostomi nomine nomen Petri ter substituit (ibid. p. 136). Opus esse non videtur exsequi, quomodo persuadere nobis studeat, ut ad partes suas accedamus; neque enim ego auxilio argumentandi melius eum refutare possum quam Fl. Stablewskius.[5]) Melius est demonstrare, quam facile dictionis ope eum repellamus.[6])

sermo I (Spic. p. 185 sqq).

p. 185 extr. adeo geritur; p. 186 med. adeo Esau]. „Adeo" his locis idem sonare atque „ideo" ex contextu sententiarum cognosci potest. Cuius significationis exempla apud Petrum frustra quaeras; Zeno autem Veronensis duo praebet (vd. I 2, 1 p. 13 med. Giul., I 4, 4 p. 39 extr.) Cf. K. Sittl l. c. p. 137 et Thes. ling. Lat. I 614_{14} sqq et 616_{29} sqq.

1) Spic. p. 129 sqq. 2) De eo vd. O. Bardenhewer l. c. s. v. Severianus. 3) Vd. Spic. p. 135 sq. 4) De codicibus a Liveranio excussis vd. Spic. Proleg. X — XII, ibid. p. 135 adnot. 2 imprimisque p. 136 sqq. 5) D. hl. Kirchenvater Petrus von Ravenna Chrysologus, Posen 1871, p. 108 sqq. 6) Apparet multa verba obscura et mendosa a Liveranio exhiberi.

p. 186 extr. Cogitur Jacob . . . Cogitur inquam]. Petrus cum in initio enuntiatorum verba repetit, numquam adicit „inquam“: vd. 300 C Ista est, fratres, ista est ecclesia; 306 A Veniet, veniet in iudicium; item 309 A; cf. priorem partem p. 10.

p. 186 extr. benedictio compleatur]. Nusquam in Petri sermonibus „complere“ exstat, sed omnibus locis „implere“; vd. 378 C impleatur illud apostoli; item 407 C, 409 B, 412 A, 431 C aliaque multa.[1])

p. 186 med. Igitur properant]. Hoc adverbium Petrus et raro usurpat et post primum enuntiati vocabulum ponit; vd. 285 A merito igitur, 509 B morbus igitur; item 600 C, 344 D.

p. 185 med. e contrario]. Apud Chrysologum nihil invenitur nisi „e contra“; vd. 213 B, 295 A, 301 A, 541 B; hoc enim loco ultimo „e contra“ pro „contra“ scribendum esse videtur.

p. 186 med. ut peior in homine nutriatur, quoniam; paulo postt accepit, quoniam]. Petrus cavet, ne enuntiatum causale coniunctione „quoniam“ praecedenti enuntiato adiungat; nam aut invenias „quia“ aut perraro „quod“. Hoc ut probem, locos ex duobus tantum sermonibus afferam: 186 A, 189 B, 189 C, 190 A. „Quoniam“ autem non usurpare solet nisi cum enuntiatum secundarium locat ante primarium; vd. 422 B, 430 C, 464 A.[2])

Postremo adicio orationem lente fluere et longe abesse a Petri fervida et vibranti elocutione.[3])

sermo II (Spic. p. 187 sqq).

Hic tractatus iam cum praecedenti Petro abiudicari potuit; namque non pauca, quae ibi Chrysologi usum loquendi non redolere ostendi, rursus hic occurrunt.

Scriptum est p. 187 extr. „Non licet, Joseph, non licet inquam“ et p. 188 extr. „Fugit igitur Joseph, fugit inquam“; item p. 189

---

1) Invenitur quidem verbum complendi in sermone 149 editionis Migneanae (599 A), sed eum totum esse subditicium facile demonstrari potest; vd. Hermes XXIX 626. Ut adiungam nonnulla, abhorrent a Petro haec: quid plura dicere? (598 B), etiamsi (599 B), domini et salvatoris nostri (598 A), exinde (599 B).

2) Quia in sermone 53 contrarie res se habet (347 C) atque imprimis locutiones „secundum apostolum“ (347 C) et „quapropter“ (347 C) a dictione Petrina discrepant, eum esse respuendum satis mihi persuasi. Hunc tractatum complures vexaverunt, sed nemo suppositicium esse ostendit. 3) Vd. priorem partem p. 13 med.

med. et p. 189 extr. Vd. de hac re supra p. 27. Quod autem attinet ad „adeo" pro „ideo" (p. 188 in. et 189 extr.) et ad „complet" (p. 188 in.) et ad positionem adverbii „igitur" (p. 188 extr.), de his rebus item modo dixi. Neque aliter se habet haec confusio modorum et temporum: legimus enim in p. 188 med.: „Ego te muneribus honorem; ego marito commendem; ego te libertati condonem". Coniunctivus praesentis fungitur hoc loco munere futuri; sed quamquam posterioribus sermonis Latini temporibus praecepta grammaticae huc spectantia summa cum licentia turbari solebant, Chrysologus tamen non est secutus. Qua de causa ille ne id quidem scripsit, quod exstat in p. 187 med.: „qui salutem . . . afferret, ut exstitisset"; nam pro coniunctivo imperfecti apud Petrum omnino non invenias coniunctivum plusquamperfecti.[1]) Porro verba „imminenti tempore" (p. 188 in.) Chrysologi dictionem minime redolent; is enim nullam aliam locutionem adhibet nisi „in futuro" aut „in futurum"; vd. 211 C, 214 B, 226 C multaque alia exempla. Postremo mirum est, quam saepe hic nomini proprio adiectivum „sanctus" vel „sanctissimus" sit appositum (p. 187 med. et extr. et p. 188 in. Joseph sanctus, p. 189 extr. Joseph sanctissimus); cuius rei exempla in Petri sermonibus, etiamsi sunt multi, pauca tamen investigari possunt; vd. 430 C Matthaeus sanctus; item 327 D; similiter 215 A, 422 B, 536 B.

Alias res exsequi potui; praecipue nihil negotii fuit explicare ex litteris sacris, id quod contra Chrysologi consuetudinem est, paucissimos locos hic afferri.

sermo III (Spic. p. 190 sqq).

Rursus complura occurrunt, quae Chrysologi esse non posse identidem dixi. Eiusmodi sunt haec: p. 190 extr. Discit christianus . . ., discit inquam; p. 191 med. compleam pro „complebo"; p. 191 med. Igitur si.[2]) Praeterea vocem „Hebraeus," quae exhibetur hoc sermone,[3]) nusquam apud Petrum invenire possis; neque enim quidquam aliud investiges nisi haec: 276 C populo Israelitico; 282 C Judaicum populum; plerumque autem breviter dicit

---

[1]) Ad hanc temporum incuriam cf. K. Sittl l. c. p. 132 sq. [2]) Collocatio enim voculae „igitur" a Petri usu sermonis dissentit. [3]) p. 190 med. Hebraeorum populus.

„Judaei"; vd. 215 A, 251 A, 287 A. Quid, quod „etiamsi"[1]) scriptum legimus? De hac re nihil dico nisi „etsi" esse Chrysologi proprium.[2]) „Ceterum" denique ter in hoc sermone uno exstat; neque vero ille id adverbium adamavit; nam in eius scriptis omnibus quater solum exsistit: 185 A, 464 B, 554 B, 612 A.

Plura de dictione exponere difficile non fuit; sed officio satisfecisse mihi videor. Hoc autem liceat addere; neque enim dubium est, quin ii tres tractatus, de quibus modo egi, ab uno scriptore compositi sint, id quod ex similitudine dictionis colligi potest; sed dissentio a Fr. Liveranio, qui censeat, quae tradita sint, non esse integros sermones, sed fragmenta prolixioris orationis (vd. l. c. p. 136).

sermo IV (Spic. p. 192 sq).

Non infitias eo hunc sermonem multo difficilius Petro abiudicari quam illos tres praecedentes. Sed etsi dictio similis est dictioni Chrysologi, nego tamen et negabo eum a Petro esse conscriptum: nemo enim nisi qui summatim e colore orationis iudicaverit, putet ab illo eum non discrepare. Nam vocabula „subsanno" et „usquequaque" (p. 192 extr.) apud Chrysologum non inveniuntur. Praeterea loci ex scriptura sacra sumpti hic prorsus aliter inducuntur, ac Petrus solet. Adde, quod Liveranius inconsulte ac temere hos sermones Chrysologi esse dixit, qua de causa ei non magis credendum esse videtur quam mihi, quippe qui diu studium ad orationem Petri contulerim.

sermo V (Spic. p. 193 sqq).

Etsi Liveranius dicit[3]) orationem sermonis in Petrum convenire, tamen simulatque ex Chrysologi tractatibus eos, quorum argumentum est idem,[4]) leviter legeris, inter illas homilias et hanc multum interesse cognosces. Ubi enim verba, quae sunt „dei ficus", „paranymphus", „paranympha", „impraegnare", „mellifluus", „officiositas" in iis reperias? Ubi apud Petrum media in rerum explanatione haec plena Christi appellatio occurrit: „domini nostri Jesu Christi"? (Spic. p. 195 in.). Ubi ille aut substantivo „nativitas" aut ulli alii adiectivum „venerandus" adiungit? Legimus enim scriptum in

---

1) p. 191 med. 2) Vd. 401 C, 436 B, 459 C, 481 A; cf. huius quaestionis p. 27 adnot. 1. 3) Spic. p. 138 med. 4) serm. 140 — 148.

Spic. p. 195 in. „venerandae nativitatis“. Quis porro dicat esse neglegendum, quod in omnibus sermonibus, quos Chrysologus de nativitate Christi habuit, contra Nestorianos vel Eutychianos vel alios pro fide orthodoxa egit causam,[1]) in Spicilegii autem tractatu ne minimum quidem huius studii vestigium usquam exstat? Postremo sperans iudicium meum te nonnihilo aestimaturum esse sententiam eo confirmare audeo, quod dico Chrysologi argumentationem aliter se habere.

sermo VI (Spic. p. 195 sq).

Legimus in hoc tractatu „locutus est dicens“ (p. 195 extr.). Hic pleonasmus non est Petrinus, id quod ut magno numero exemplorum comprobem, non postules.[2]) Quamquam ex oratione nullum aliud argumentum grave sumere possum, hoc tamen plus valet quam multa alia; nam sescenties quidem ita dicere potuit, omnibus autem locis aliter scripsit. Sed fortasse nondum me sequaris. Itaque oro, ut sermones 38 et 139,[3]) quibus eadem res continetur, cum hoc conferas, extemplo invenies ibi orationem quasi vibrare et ardorem scriptoris continuo agitari, hic lentum quoddam flumen volvi. Adde, quod haec apud Petrum nusquam occurrunt: „in evangelio suo“ (p. 195 extr.), „ventilare“ (p. 196 in.).

Quantopere Liveranio rectum iudicium defuerit, inde apparet, quod commemorat tractatum opus Chrysologi non inepte idcirco iudicari posse, quia incolae Aemiliae provinciae ad hanc aetatem rixis et conviciis dediti sint,[4]) quasi non ubique et semper hoc vitium sacerdotibus sit vituperandum.

sermo VII (Spic. p. 196 sqq).

p. 198 med. Hydropicus quippe]. Ubi quisquam apud Petrum inveniat vocabulum „quippe“ vicem coniunctionis „enim“ obtinere? Semper ab eo pro „videlicet“ usurpatur: vd. 393 A a quo malo? a diabolo quippe.

p. 197 extr. Licet sabbato curare an non?] Exemplum disiunctivae rogationis directae apud Chrysologum non repperi: sed

---

1) Vd. 575 B, 578 A, 579 B, 582 C, 585 B, 591 A et B, 592 A, 596 A, 596 B. Illis temporibus hae contentiones vehementer erant excitatae. 2) Vd. C. Weyman, Sitzungsber. d. Bayer. Akadem. d. Wissensch. 1893, Bd. II, H. 3 p. 359. Ibi enim complures scriptores nominantur, qui illa copiosa locutione uti solebant. 3) Mign. col. 306 sqq et 572 sqq. 4) Spic. p. 196 adnot. 1.

quia rogationi obliquae, ut infra ostendam,[1]) non solet addere „an non“, hic eum addidisse non est verisimile.

p. 198 med. disputat, ut videlicet]. Nullo additamento vim coniunctionis finalis usquam auxit; nam quod „utique ut levaret“ scripsit (236 A), post „utique“ perfectum „venit“ supplendum est.

sermo VIII (Spic. p. 198 sqq).

In codice Lib. A Liveranius maius additamentum sermonis Petrini 81[2]) invenit. Itaque putavit hunc tractatum apud Migneum esse mutilum.[3]) Sed nonne sermo bene finitus est his verbis: „Deus ergo, quod per nos non possumus, ipse nos capere per se et sentire concedat“? Praeterea non miror, quod mediis in rebus orator desiit explanare, quia compluriens brevitate spatii ad contionandum permissi id facere coactus est.[4]) Additamento autem continuatio sententiarum prorsus turbatur; nam fieri non potest, ut, cum euangelii Lucae cap. XXIV a versu 36 usque ad versum 41 interpretatus sit, ad versum 39 sine ulla ratione redeat. Huc accedit, quod unus cod. Lib. A hoc supplementum exhibet et totum tractatum non Chrysologo vel Severiano, sed Augustino tribuit.[5]) His rebus motus etiam Liveranius dubitavit, num recte iudicaret,[6]) Stablewskius autem eius sententiam prorsus aspernatus est.[7])

Sed quid opus est multas agere me ambages? Nam usque ad verba adiecta in nullo alio tractatu plus inest ingenii Petrini, in additamento autem ab initio oratio plane convertitur. Nam quod legimus: „Quaerunt homines, utrum . . . futura sit . . . an non“ (p. 201 med.), quam non sit proprium Chrysologi adverbio „utrum“ opponere „an non“, hi loci docent: 291 B insidiantes animo, utrum curaret; item 313 B, 426 A, 578 A.[8]) Quid, quod forma διατριβῆς[9]) apud Petrum nullo loco talis est, qualem hic sermo praebet? Praecipue contradictiones ille aliter inducit; vd. 280 A et 285 A sed dicit aliquis; 311 B sed dicis; 603 C sed, auditor, dicas; hic autem legimus: „Respondetur nobis“, „Dicitur ergo nobis“, „inquit“ (p. 201 med.). Neque neglegendum est enuntiata apud Chrysologum non

---

1) In hac eadem pag. 2) Mign. col. 427 D sqq. 3) Vd. Spic. p. 138 extr. 4) Vd. serm. 20 et 69 aliosque. 5) Vd. Spic. p. 139 in. 6) Spic. p. 139. 7) l. c. p. 113. 8) Ad hunc usum adverbii „utrum“ cf. K. Sittl l. c. p. 116. 9) Vd. priorem partem p. 13 adnot. 6.

totiens trochaeo et cretico terminari,[1]) quotiens in hoc additamento, ut taceam verba „isti autem homines sunt“ numerose non cadere.

sermo VIIII (Spic. p. 202 sq).

Hic tractatus, qui diu falso in sermonibus Augustini numeratus est,[2]) a Liveranio tribuitur Petro Chrysologo, quia in codice Magliabechiano quodam exhibetur sub nomine Severiani.[3]) Sed is liber manuscriptus, qui idem Augustini plane genuinam homiliam a Severiano compositam esse tradat,[4]) nonne est incertus dux? Adice, quod Petrus a sermone 74 usque ad 84, ubi eandem rem tractat, semper certum finem petit, semper aliquo loco ex litteris sacris in initio allato firmum explanationis fundamentum iacit, semper gradatim deducit argumentum neque umquam omittit exemplis confirmare, quarum rerum omnium in Spicilegii sermone ne minimum quidem indicium reperias. Ut breviter dicam, Petrus figit vestigium, huius tractatus scriptor vagatur. Potissimum autem suspiciosa est ea res, quod, cum Chrysologus appellationem „dominus“ semper fere usurpare soleat, hic nomen „Christus“ quater, vox „salvator“ bis, vocabula „Christus dominus“ semel inveniuntur. Praeterea ne una quidem ex iis figuris, quae Petri orationis propriae sunt, usquam prodit.

Patet et apparet a Fr. Liveranio sedulitati iudicium esse postpositum.

---

1) Vd. priorem partem p. 18 med. 2) Vd. Spic. p. 139 med. 3) Vd. Spic. p. 202 adnot. 1. 4) Vd. Spic. p. 139 med.

Lebenslauf.

Ich wurde im Dorfe Hohenau des bayerischen Regierungsbezirkes Niederbayern am 11. Mai 1868 als Sohn eines K. Försters geboren. Nach einem achtjährigen Besuch des humanistischen Gymnasiums in Passau, das Nik. Wecklein und darauf Andr. Spengel † in anerkannt tüchtiger Weise leiteten, diente ich als Einjährig-Freiwilliger und bezog im Jahre 1889 die Ludwig-Maximilians-Universität München als Studierender der klassischen Philologie. Dort schloß ich mich bei meinem vierjährigen Studium hauptsächlich an die Herren Professoren W. Christ †, R. Schöll † und E. Wölfflin an. Der mir durch sie gewordenen geistigen Förderung werde ich stets in Dankbarkeit gedenken. Nachdem ich im Herbste des Jahres 1893 die Lehramtsprüfung für klassische Philologie und Geschichte abgelegt hatte, wirkte ich 3½ Jahre als Lehrer und Erzieher Sr. Kgl. Hoheit des Herzogs Christoph in Bayern, worauf ich bis zum 1. Januar 1899 als Assistent am Kgl. Theresiengymnasium in München verwendet wurde. An diesem Tage erfolgte meine Anstellung als Gymnasiallehrer am Kgl. Alten Gymnasium in Regensburg. Ich gehöre dieser Anstalt bis jetzt in gleicher Diensteigenschaft an.